

in iudicio, quamobrem et dicitur ein **Ruzge:Gericht**. Vox enim **Ruzgen** idem notat ac diiudicare causas civiles. Quur vero pariter audiat das **Eigen:Gericht** / non est difficile hariolatu. Licet enim omnes rustici tum satrapiae **Blanckensteinensis**, tum **Breidenbacensis** homines subditi sint principi, attamen intuitu seruitutis **der Leibeigenschaft** / aut **Landgrauio**, aut **Nobilibus** sunt peculiariter obligati. Ne itaque illi, qui **Landgrauio** seruitutis vinculo sunt constricti, nuptiis temere misceantur cum reliquis, lustrantur quasi hoc in iudicio, vt poenam dent contraeuntes consuetudini. Omnes idcirco **Principis serui (Leibeigene)** vxorati, qui ex hoc territorio (**dem Hinter:Land**) vel originem trahunt, vel in eo adhuc commorantur, coram isto iudicio comparere citantur. Qui quum praesto sunt, non obstante ingenti multitudine huiusmodi hominum, tunc singulorum nomina ciet **Satrapa Blanckensteinensis**. Quo facto citatus per ostia bina iudicii, **durch die Hützte** transit, vt videatur ab illo et scabinis permeans. Quod tamen de maritis est intelligendum, qui duxerunt vxorem ancillam (**eine Leibeigene**) **Principis**, **die eine eigene Frau haben**; namque illis, qui in matrimonio